

**Disputatio inauguralis, de animalibus hieme sopitis / Eruditorum examini subjicit Henricus Reeve.**

**Contributors**

Reeve, Henry, 1780-1814.  
University of Edinburgh.

**Publication/Creation**

Edinburgi : Excudebant C. Stewart et socii, Academiae typographi, 1803.

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/g6jfarp6>

**License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

*Var*

The Medical Society -

from the Author. -

MEDICAL

POSSIBILITATUM  
PRACTICAE

---

D I S P U T A T I O

I N A U G U R A L I S,

DE

ANIMALIBUS HIEME SOPITIS.

---



D I S P U T A T I O

A N A L O G I A E

DE

A N A L O G I A E H E M E S O R T I S

10.000.13

D I S P U T A T I O  
I N A U G U R A L I S,  
D E  
*ANIMALIBUS HIEME SOPITIS.*

Q U A M,

A N N U E N T E S U M M O N U M I N E ,

E x A u t o r i t a t e R e v e r e n d i a d m o d u m V i r i ,

D. G E O R G I I B A I R D , S S . T . P .

A C A D E M I A E E D I N B U R G E N A E P R A E F E C T I ;

N E C N O N

A M P L I S S I M I S E N A T U S A C A D E M I C I C o n s e n s u ;  
E t N O B I L I S S I M A E F A C U L T A T I S M E D I C A E D e c r e t o ;

*P r o G r a d u D o c t o r i s ,*

S U M M I S Q U E I N M E D I C I N A H O N O R I B U S A C P R I V I L E G I I S  
R I T E E T L E G I T I M E C O N S E Q U E N D I S ;

E r u d i t o r u m e x a m i n i s u b j i c i t

H E N R I C U S R E E V E ,

*A N G L O - B R I T A N N U S .*

S O C I E T . R E G . M E D . E D I N . S O C . E X T R . N U P E R P R A E S E S A N N U U S .

N E C N O N

S O C I E T . N A T . S T U D . P R A E S E S A N N U U S , E T S O C . S P E C U L . E D I N .  
S O C I U S .

*" Sic sine vita  
Vivere, quam suave est, sic sine morte mori."*

Ad Diem 24 Junii, horâ locoque solitis.

EDINBURGI :  
*E X C U D E B A N T G . S T E W A R T E T S O G I I ,*  
A C A D E M I A E T Y P O G R A P H I .

1803.

О ГЛАВЕ БЫТЬ

СИДИЩАЩИМ

СИДИЩИМ УКОЛЫМ

ЛУЧОВЫХ СИДИЩАЩИХ

СИДИЩИХ ПОСЛЕДНИХ

HENRICUS REEVE


PHILIPPO MEADOWS MARTINEAU

S. D.

*Hæc paucula ad Naturæ cognitionem spectantia,  
ab alumno, Tibi, Vir amicissime, jamdudum devin-  
elissimo, profecta, exiguum sanè munus, sed ex animo  
dicatum, accipe. Quantam voluptatem accepi, et  
quanto fructu quatuor annos tecum felices degi, ego  
imprimis existimare possum. Nam mihi omnia quae  
utilia ex peritiâ tuâ in arte medicâ et exemplo, quae  
jucunda ex humanitate et moribus, homini acci-  
dere possunt, ex te et tuis familiaribus accidebant.  
Quid multa? Te dulcesque amicos meminisse ju-  
vabit semper quorum opinionem anni venientes certè  
gratiorem reddent, spero adiment nunquam. De  
amicitiâ nostrâ nolim levia quaelibet effutire liceat  
modò apponere pulchrum illud Romani Rhetoris:  
“ Neque enim est sanctius sacris iisdem quam  
studiis initiari.” — Vale.*

ACAD. EDIN.

VIII. ID. JUNII.



Digitized by the Internet Archive  
in 2019 with funding from  
Wellcome Library

<https://archive.org/details/b30795072>

---

## SUMMARIUM RERUM.

---

	Page.
PROOEMIUM	I.
Signa in Animantibus hieme sopitis	7.
De circuitu sanguinis	II.
De respiratione	13.
De calore animali	16.
De concoctione alimentorum	20.
De corporis macie	22.
De irritabilitate	24.
Quædam generalia ad animantia quæ hieme conduntur spectantia	26.
De corporum fabricâ	34.
De adipis usu	33.
De naturâ soporis	37.
Conclusio	42.

MILIA MUNIAMMUS.

" Sic enim res se habet, ut omnia quæ alantur et crescant, contineant in se *vim caloris*; sine quâ neque ali possent, neque crescere. Nam omne quod est calidum et igneum, cietur et agitur motu suo. Quod autem alitur et crescit motu quodam utitur certo et æquabili: qui quamdiu remanet in nobis, tam diu sensus et vita remanet; refrigerato autem et extinto calore, occidimus ipsi et exstinguimur. "

CICERO DE NATURÂ DEORUM. LIB. II.

D I S P U T A T I O

I N A U G U R A L I S,

D E

*ANIMALIBUS HIEME SOPITIS.*

---

PROEMIUM.

C O G I T A N T I mihi sæpenumerò venit in mentem  
perdifficilis sanè et perobscura quæstio, de *Ca-*  
*lore animali.* Et profectò cuivis animo versanti,  
quot sunt animalium genera, per quot casus, et  
quot in variis telluris regionibus, uniformem  
ferè temperiem sustinent, indagatione certò, ne  
vel intra hujuscce Academiæ pomoerium indig-  
num videatur : ‘ *Quænam sint signa in animalibus*  
‘ *hieme sopitis, et quâ ratione sint explicanda.* ’

Dum

Dum miranda ista in corpore humano vel prorsus latent, vel saltem non planè deprehenduntur; dum actio frigoris, caloris ratio animalis, natura somni, et alia plurima non satis sunt cognita, forsan in brutis animantibus perscrutando, ad causas earum penetrare liceat.

Nam siue de incremento quæritur scientiæ, vel de principio, quod aiunt, vitali, nulla ars cum experimentis et observationibus ad animalia pertinentibus, conferri potest; quæ sunt quasi fontes, quibus de corporibus vivis certiores nos facti sumus, et facturi: siue de ratione functionum differimus, et de viribus et effectibus remediiorum, vel de morborum causis; aut haec ars est, aut nulla omnino videtur, per quam ea affequi possimus.

Quid animi oblationem, quid illam utilitatem memorem, quæ quam latissimè patet, ex cognitione rerum, et historiâ naturali, ortam? Nec interea mihi litem quis intenderit, quasi in alienam

alienam messem, falcem improbus immittam ;  
 cùm in toto non minus artis quām scientiæ am-  
 bitu, mira ita est series et continuatio, ‘ alterius  
 sic altera poscit opem,’ ut medicina à physicâ  
 nunquam ritè sit dissocianda. Quæ philosopho-  
 rum esse propria videntur, eadem quisque ad se  
 transferre debet, artique suæ accommodare. In  
 hoc enim, medicinæ parentis Hippocratis vesti-  
 gia sequitur atque auctoritatem : Δεῖ δε μετάγειν  
 τὴν σοφίην εἰς ιατρικὴν, καὶ τὴν ιατρικὴν εἰς σοφίην.—  
 (Hipp.)

Et si in alterius magistri verba jurare liceat,  
 en quod magnus olim Bacon et perspexit et præ-  
 dixit : ‘ Interea, nemo exspectet magnum pro-  
 gressum in scientiis (præfertim in parte earum  
 operativâ) nisi philosophia naturalis ad scientias  
 particulares producta fuerit, et scientiæ parti-  
 culares rursus ad naturalem philosophiam re-  
 ductæ.’—(Nov. Org. 80.)

Quæ

Quæ quidem studia quamvis non medicum effingere valeant, aptiorem tamen medicinæ reddunt.

Inter ea quæ creat natura et tuetur, stellarum motus ac temporum varietates, animalia, fruges, et reliqua quæ terra parit, homines ad naturæ leges indagandas permovent. Homo autem ipse præ cæteris, summo fibi jure, totam animi vim et intentionem vindicat, quippe natura ejus nec satis cognita, et est cognitione dignissima. Licet verò operam curamque haud mediocrem impen- derit omnium ferè fæculorum industria, medici- næ tamen dolenda est fortuna, quod ad stabilita- tem scientiæ nondum accreverit. Sed quid atti- net de rebus tam apertis plurima requirere? Scriptores medici sine philosophorum disciplinâ, nec cujusve signi speciem rectè cernere, neque eam explicare potuerunt: nec judicare quæ vera, quæ falsa sint, neque videre consequentia, nec ambigua distinguere. Imaginatione et con-jecturis supplere solebant, quod veræ scientiæ deesset,

deesset, et non duce et auspice naturâ sequuntur,  
sed naturæ imitatores, ‘*servum pecus*’ imitantur.  
In nostrâ ætate, aliquantûm gloriari licet, quòd  
jam inter omnes constet, observationem sine ra-  
tione parùm medicinæ prodeesse, rationem verò  
vel opiniones sine observatione plurimùm obesse,  
prodeesse nunquam. Eluent tandem experientiâ  
et inductione naturæ operationes ; his visis, fugit  
error, evanescunt medicorum placita. Nam hæ  
funt hujusmodi, ut nullo politæ mentis studio,  
nullâ eruditæ cogitationis vi, certò possint ex-  
tundi, sponte vero suâ videtur quæque è nebulâ  
quâdam erumpere, et interesse turbæ indagan-  
tiuum :

---

“ Cunctisque repente  
“ Improvisa loqui, coram, quam quæritis, adsum.”

*Virg. Æneid. I.*

Hæc fuit de quibus mihi in animo erat, pauca  
qualiacunque disputare, quæfituro de animali-  
bus quæ hieme conduntur ; non ut aliquid novi  
adjicerem,

adjicerem, sed ut ea quæ in re dispersa atque latè diffusa sunt, ratione et distributione sub uno aspectu ponerentur. Cùm autem multæ res omislae forsan et nequaquam satis adhuc collectæ et sint explicatæ; sit, tantum obsecro, laus propter incœpti novitatem, et detur venia macularum, nobis præsertim tramitem difficilem atque inexploratum ingredientibus; nam decantatum illud veteris poëtæ hic apponere libet:

“ Juvat integros accedere fontes,  
“ Atque haurire, juvatque novos decerpere flores.”

*Lucretius.*

---

PARS

P A R S I<sup>ma</sup>.

*De signis in animantibus hieme sopitis.*

OMNIA animantia in sex classes à cel. Linnæo  
funt divisa; horum quædam ita à naturâ com-  
parata sunt, glires præsertim et amphibia, ut  
hieme sopita se condant. Mihi forsan obje-  
rit, aliquis, quòd aves nunquam occultentur, nec  
per totum hiemis decursum somno oppresſæ re-  
quiescant, sed in vicina semper abeant. Jam de  
hâc re, cùm singularis sit et subobscura, copiosius  
inter philosophos quàm accuratè disceptatum  
est; et qui de Hirundinibus dixerunt, tantâ  
funt in varietate et diffensione, ut opinionum  
commenta molestum sit dinumerare. Restat  
itaque non tam aliorum refellere sententias, quam  
proferre meam, si quidem mea vocanda sit,

quam

quam nuper literis accepi à \* viro cùm ingenio  
tum scientiæ naturalis studio præclaro, et quam  
plurimis exemplis confirmatam ipse expertus  
sum. Hirundines igitur crediderim plerumque  
migrare; quia migratio his lex est naturæ; sed  
quæ longo itineri minùs aptæ, vel quæ forsan  
extremâ ætate ex ovo exclusæ, partim solùmmo-  
dò veniente hieme in loca tepidiora abeunt,  
partim conduntur torpentque; ergo aliis provi-  
sum pabulum, aliis pro cibo somnus. Linnæus e-  
quidem hirundines non describit migratorias, sed  
contra, inquit: ‘ *hirundo rustica habitat in Euro-*  
‘ *pæ domibus intra tectum: unaque cum urbicæ*  
‘ *autumno demergitur vereque emergit:’ in e-*  
pistolis autem ad familiares, minimè pro certo  
sumere videtur, quod tam dubium est. Plurimi  
fide digni tradunt, hirundines brumali tempore  
sæpe è cavis arborum, è fluviorum ripis vel è  
fissuris murorum, quasi mortuas extrahi, tempore  
conclavium

\* Jacobus Edwardus Smith, Soc. Linnaean. Praef.  
&c. &c.

conclavium reviviscentes. Nec inauditum est, has aves sub aquâ congregatas, à lacu retibus piscatoriis esse protractas. § Testimoniis fidem denegare, quia res est explanatu difficultis, quid aliud est quam cæcorum more ambulare, et quando solis lumine uti possimus, tenebras tamen ac caliginem quærere?

Ex animalibus, quae nobiscum degunt, glis (mus avellanarius Linn. Syst.) erinaceus, vespertilio et amphibia cognitu sunt dignissima; in aliis regionibus, ursus, marmota, serpens, lacerta et testudo, muscae etiam, omniaque ferè infecta, frigore accedente talem contrahunt inertiam, quæ morti proxima videtur, et torpida fiunt et immobilia. Quo abeant Pisces torpeantne unquam hy-

B

berno

---

§ Klein, de Hybernaculis hirundinum. Prodromus Hist. Avium. Vide etiam Phil. Trans. Barrington's Miscellanies. White's Nat. Hist. of Selborne. Barton's Fragments of the Nat. Hist. of Pennsylvania. Darwin's Zoonomia, &c.

berno tempore, non inter historiæ naturalis scriptores convenit; verisimile tamen videtur, quosdam in cavis condi et per hiemem aliquando torpere; et in statu torpido, in *America*, haud raro invenisse, civis quidam nuper me certiore fecit. *Acipenser* etiam frigore torpidus aliquando inventus, (ut nuper audivi), atque in ista regione, quæ nomen habet *Hudson's Bay*, pisces glacie inclusi nonnunquam inveniuntur, et quod mirabile vires vitamque calore recuperant. Animalium quæ gelu torpescunt, frigore accedente, alia præparant cibos, qui usibus inferiunt ante soporem, vel vere novo, quando expergefacta famem sentiant, alia nullos. *Erinaceos*, *vespertiliones*, *marmotas*, *glires*, atque *amphibia*, frigus pigriora reddit, in cuniculis coer cit, ad latebras impellit, soporemque invitat. Quædam in luto condi dicuntur, et convolvi informam pilæ, ne quid à frigore patientur. †

His

† Præsertim *Dipus Canadensis* (Shreg. Genus). Vide Vol. IV. Linnæan Transactions.

His sopitis neque motus voluntarius est, neque sensus externus; omnium virium est hebetudo; motus cordis et arteriarum tardiores et debiliores fiunt: respiratio lentior, et in quibusdam vix ac ne vix quidem perfecta: calor minuitur, et cunctæ secretiones: et soliti appetitus et propensiones non percipiuntur. Carent tunc cibi cupiditate, carent actu et indole, carent viribus et tantum non vitâ; jacent; dormiunt: nec subito frangitur, sed redeunte calore, sopor diurnitate extinguitur.

Quæ cùm ita sint, argumenta et pericula quibus confirmari debent, jam sunt recensenda.

*Motus cordis et arteriarum, tardiores et debiliores.*

Haller atque Spallanzani benè notant, neque pulsus arteriarum, nec cursus fluidorum, in animalibus hieme soporatis, omnino esse suspenso,

sed

sed ita languidos et obscuros, ut parùm percipi-  
antur. Aquatilia torpida, quorum incerta fa-  
cies inter vitam et mortem, Spallanzani sëpe  
denudavit; in minoribus et in remotis arteriarum  
ramis, motum sanguinis nullum esse invenit; in  
truncis autem magnis, prope cor, sanguinem mo-  
vere, quamvis motus multò lentior evadit.\* In  
mure criceto, (*Hamster*) communis pulsuum fre-  
quentia est, in æstate, plus quàm centies in horæ  
minuto, sub hiberno autem somno, ad quindecim  
descendit.† Vespertilio, cuius cor ad contraëti-  
onem, centies in horæ minuto cietur, dum ma-  
net exercitatio et æstas, sexaginta tantùm pulsa-  
tionibus gaudet, quando gelu torpescit, quod à  
Dom. *Cornish* notatum est.‡ In gliribus fopitis,  
et in erinaceis, nondum observationibus satis  
com-

\* Spallanzani, *Tracts on Animals and Vegetables*,  
p. 269.

† Buffon's *Nat. Hist.* translated by Smellie, Vol. VII.  
p. 194.

‡ *Miscellanies by Daines Barrington, Esq.*

comprobatum est, actionem cordis minui; sed quoniam respiratio est lentior (cujus postea locus erit dicendi) haud difficile est credere, motum sanguinis retardari: atque hoc eò magis affirmare ausim, quòd pleraque ad somnum spectantia, non solum in brutis animantibus sed in hominibus, idem suadere videantur.

2do. *Respiratio lentior et aliquando ferè nulla.*

Quæ de sanguinis motu jam dicta, de respiratione ferè eadem sunt dicenda. Functiones pulmonis et cordis ita connectuntur, ut his minutis, eæ plerumque minuantur. Multis certè observationibus opus est, priùquam in hac re verum attingere possimus. Sed à paucis recensitis, et cognitis rerum partibus, eventum anticipare mente et cogitatione fas videtur, et concludere, respirationem retardari vel suspendi. Respiratio testudinis, quæ apud *Londinum* multos per annos vixit familiaris, semper lentior erat, hieme

appro-

appropinquante, quod amicus, vir fide dignissimus, ipse vidit et mihi tradidit. Animalium hieme dormientium, tanta est multitudo sœpe in unum locum congregata, ut latebris obturatis, neque oxygenium, hic nec aliunde quin in parcâ quantitate comparare possint. Et præterea vivunt ab aëre exclusa, uti periculo compertus est *Blumenbach*. Ranam arboream quodam mane, deprehendit hic auctor, congelatæ aquæ planè immersam, et glacie ut infecta succino inclusam; hâc sensim solutâ, rana tota restituta fuit, et vegeta diu posthac supervixit.\*

Periculum hoc memorabile repetitum mihi idem ostendit. Docent etiam experimenta haud de industriâ instituta, quæ mihi amicè tradidit Dr Monro, ranas per longum tempus glacie, quod sœpe hieme accidit, inclusas manere incolumes.

Ita

---

\* Specimen Physiolog. Comparat. in Comment. Societ. Gottingen. Vol. VIII. p. 83.

Ita de lacertis lacustribus narrat Du Fay; \*  
stellio etiam in glacie inventus est, et quamvis per  
plurimos menses in illa manferat, vitam ta-  
men viresque calore cautè admoto recuper-  
vit. † Cæterūm Du Tertre refert, se à quodam  
fide digno accepisse, quod ipsi in *Ruffico* quodam  
 pago aqua, gelu concreta, oblata esset, in quā  
 fuit hirundo; quæ teprata recuperavit sensum  
 motumque, atque in hypocausto circumvola-  
 vit. ||

Experimenta quædam in ranis bufonibusque  
institutis, mihi ostenderunt, spiritum lentiorem  
fieri, et pulsus simul arteriarum tardiores, quan-  
do calor animalium minuatur, his aquæ frigidæ  
gradatim expositis. Pulsuum frequentia fuit in  
bufone fano in aëre  $49^{\circ}$ , circiter triginta in horæ  
minuto:

---

\* In Mem. de l' Acad. des Scien. de Paris, ann.

1729. p. 144.

† La Cepede on Oviparous Quadrupeds, p. 38.

|| Klein, Hist. Avium Prodromus, p. 199.

minuto: in aquâ ad  $35^{\circ}$  frigefactâ duodecim tantum in eodem temporis spatio, et infra  $30^{\circ}$  motus cordis cessabat omnino, redibat autem animale loco calidiori remoto. Motus organorum pulmonalium gradatim lentiores fuerunt in bufonibus ranisque frigori expositis; et quum thermometrum in gulâ et ventriculo positum  $32^{\circ}$  tantum indicavit, motus non observari potuerunt. In temperie infra  $40^{\circ}$ , hebetudo quædam sensuum, motusque voluntarii debiliores facile conspiciendi, stupor demum et quasi sopor, sed actio muscularum haud penitus extincta, forsan motus vel convulsiones dolore excitati sunt, non tamen ut crediderim soporem unquam esse gravem vel ingratum animalibus sponte nascentem, id quod opinatur Prof. Barton. (Nat. Hist. of Pennsylvania, p. 13.)

*3tio. Calor minuitur, et cunctae secretiones.*

Animalium calor fortè variat secundum calorem aëris vel aquæ in quo ipsa torpida vivunt,  
semper

semper autem gradus quosdam (licet paucos) calent, supra elementum quod habitant. In erinaceo, æstatis tempore, dum aër effet  $78^{\circ}$ , calorem sanguinis thermometro Fahrenheitiano  $97^{\circ}$  exploratum notavit Jenner, vir ille magnus, propter Vaccinæ historiam nunquam non venerandus. Hieme autem, aëre vix ad  $44^{\circ}$  tepente, calor erinacei torpidi internus fuit tantum  $48\frac{1}{2}^{\circ}$ . Quando atmosphæræ temperies ad  $26^{\circ}$ , calor animalis ad  $30^{\circ}$  redactus fuit, ita ut quatuor gradibus medium circumdans temperie vix superabat.\*

In regionibus australibus Russiæ, illustr. *Pallas* observavit, tunc calorem sanguinis erinaceorum, artificiali frigore sopitorum, descendisse usque ad  $38^{\circ}$ , dum aëris externi temperies erat ad minimum  $50^{\circ}$ . Imo etiam in æstate (inquit ille) quando vigent et movent, vix  $33^{\circ}$  gradibus atmosphærâ

\* Observations on certain parts of the Animal Economy, by J. Hunter, p. 112.

atmosphærâ calidiores esse solent glires atque erinacei; omnesque illius mutationes calore suo sequuntur. \* In mure citillo, summus sanguinis calor per æstatem constans esse solet  $103^{\circ}$ ; sed quando infusâ aquâ ex cuniculis proturbatos indeque torpidulos examinavit *Pallas*, saepe non ultra  $84\frac{1}{2}^{\circ}$ ; immo apud nonnullos, vix ad  $80^{\circ}$  ascendisse mercurium vidit. Hisce animalibus in cellâ glaciali detentis et sopitis, gradum caloris circiter  $56^{\circ}$  perstitisse, vir ille celeber. expertus est. †

De vespertilionibus, qui hieme obrigescunt, idem valet; in quodam torpido, die subfrigidâ Decembris, internum calorem  $36^{\circ}$  notavit Dom. Cornish; § docent etiam experimenta quædam à *Pallas* instituta. Calor in mure criceto variabilis

\* Nov. Comment. Petrop. Vol. XIV. p. 577.

† Ibid. p. 559.

§ Barrington's Miscellanies.

abilis, ut in omnibus murini generis, qui hieme conduntur. In vividissimis, sanguis interdum calet, usque ad  $103^{\circ}$  : alias vix ad  $99^{\circ}$  ; et in iis loco frigido detentis vel è cuniculis expulsis, tantum ad  $91^{\circ}$ . \*

Secretiones à circuitu sanguinis pendere, non est qui dubitat, cum quo minuto, tum hæ planè minuantur : et hanc opinionem pluima confirmant. Haudquaquam igitur negandum est, calorem sanguinis animalium ab externo frigore minui, sed non eo gradu, uti existimavit Buffon. Neque semper autem, neque ubique profectò gentium idem calor animalibus sopitis est proprius. Cuique classi, cuique speciei, cuique denique varietati sunt caloris gradus magnâ ex parte sui.

\* Pallas, de Glirium Ordine, p. 86.

atque in hiemis latitudine etiam non nisi  
ad diutinam aliud potest dilucide.

4to. *Concoctio alimentorum, in animalibus hieme  
sopitis, minuitur vel definit omnino.*

Ex observationibus *Pallas, Saussure, et aliorum*  
illustrium naturæ studiosorum, facilè erit colli-  
gere, concoctionem parvam esse vel nullam.  
Docent idem et melius adhuc et certius experi-  
menta quædam à clar. Joanne Hunter instituta.  
Marmotæ, et mures citilli, atque alia hujus gene-  
ris, quæ per totam hiemem torpent, et sine ali-  
mento vivunt, intestina vacua, et contracta  
habent.

Ursi in regionibus borealibus, ineunte frigore  
in latebris se condunt, et per sex hebdomadas  
veterno premuntur, nec aliquid gustant, nec in  
specu ulla sunt argumenta cibi. Sensus ingratus  
ad ventriculum referens cum edendi cupiditate  
tandem oritur, et quali nullo modo resisten-  
dum

dum fit, expergisci et idoneo cibo pacare cogit. §

Cibus ex animalibus derivatus, in lacertarum ventriculis, ineunte hieme, intrusus, post plures somni menses, neque solutus nec ullo modo mutatus erat. † Erinaceo cuius calor internus  $30^{\circ}$  fuit, nec cibi appetitus nec vis concoquendi aderat; quando autem corporis temperies ad  $90^{\circ}$  aucta fuit, statim edendi cupiditas rediit et concoquere animal valuit. Porrò, experimenta ostenderunt alimenta in ventriculo Ranæ nullam mutationem subire, dum temperies ad  $30^{\circ}$  aut  $40^{\circ}$ . Et Spallanzani plurimis periculis monstravit, quo minor in anguis calor fuerit, eo ferè pejus et tardius animal cibum concoquere. Testudo cicur quæ in æstate semper fuit vorax, in autumno pinguior parcissimè comedit, et persistante torpore, nihil.\*

5ta.

---

§ Pennant's Arctic Zoology, Vol. I. p. 59.

† Hunter's Obsr. on the Animal Economy, p. 196.

\* White's Nat. Hist. of Selbourne.

*5to. Adeps consumitur totumque corpus marcescit.*

Crediderunt quidam neque profectò parvi nominis auctores, animantia sopore hiemali pinguefcere. Aristoteles et Theophrastus ita de ursis scripserunt; et hinc forsan Plinius historiam accepit, quam verbis sic tradidit: ‘ Tum gravissimo somno premuntur (scil. urfi) ut ne vulneribus quidem excitari queant; tunc mirum in modum veterno pinguefcunt.’ \*

Martial etiam de glire cecinit:

“ Tota mibi dormitur hiems, et pinguior illo

“ Tempore sum, quo me nil nisi somnus alit.”

Verum enimvero multum abest, ut hæc et hujusmodi commenta ursorum vel glirium naturam bene explicit. Nam urfi ante in specus

se

---

\* Plinii Hist. Nat. Lib. viii. p. 202.

fe condunt, pingues sunt frugibus autumni; adipē consumpto per soporem, exeunt macilenti, in *Louisianam* descendunt et rursus pinguescunt frugibus mitioris cæli. § Certissimis etiam et simplicissimis experimentis constat, omnes corporis partes, et præsertim adipem, mutationem subire gravem et singularem, et dissipari. Mūrium totæ species quae hieme torpescunt, primo vere ex cuniculis debiles et macilenti prodeunt, quamvis autumno pinguissimi fuerant, totaque adiposo cortice corpora quasi incrustata. †

Illust. Monro erinaceum per tres menses hiemales servavit; et animal gustabat nil, manente sopore, uncias autem ponderis duas amitterebat. \* Et præterea comperit Dom. Cornish, glires et vespertiliones quinque vel septem grana ponderis, diebus bis septennis, dormientes amittere.

---

§ Pennant, Arctic Zoology, Vol. I. p. 59.

† Pallas de Glirium Ordine passim. Saussure, Voyages dans les Alpes.

\* Smellie Phil. Nat. Hist. Vol. II.

tere. Sunt qui credunt, de amphibiis § nullas corporis partes dissipari longo torpore ; sed nondum de his bene constat, et hucusque experimentis accuratis caremus.

6to. *Denique, sensuum omnium est hebetudo, et diminutio irritabilitatis.*

Omnia animantia hieme sopita ita frigore torpescunt, ut mortuorum instar, flaccida, clausis palpebris jaceant, et vix dolore ad leves motus excitari queant. Cùm pectus erinacei fuerit incisum ad gradum caloris explorandum, neque voce neque motu ulla doloris signa dedit. † Intestina muris criceti nullis stimulis ad contractionem commoveri poterant, neque electricitas exercefacere animal

§ Observations on a Tortoise, by G. Ent. in Phil. Transf. Vol. XVII. p. 533.

† Pallas Experiments, detailed in Vol. III. Coxe's Travels in Poland.

animal semper valebat. \* Experimenta à Regiâ Societate Medicâ Edinen. instituta, ostenderunt, musculos cuniculorum congelatos, multò minus irritabiles gelu fieri, admotis stimulis chemicis.

Quin irritabilitas omnium partium minuatur nemo signis ritè propensis, dubitare potest. Irritabilitas à respiratione et circuitu sanguinis pendet omnino, his igitur functionibus minutis, tarda et minor fit irritabilitatis copia. Plurimis signis docemur irritabilitatem apud nos in somno minui, et fas videtur concludere hoc in sopore animalium plusculùm accidere.

---

\* Buffon's Nat. Hist. Vol. VII. p. 194.

PARS II<sup>da.</sup>

HACTENUS expositis, quae animalibus torpentibus accidunt, jam animadvertisimus, quæ nobis harum videtur explicatio.

## GENERALIA QUÆDAM.

Quando animalia hieme sopita, oculis et ratione contempleremur, non possumus non admirari, quâm exquisita et peculiaris iis est natura, ut quasi sine vitâ vivant, et sic sine morte moriantur. Dum vita adest, actionem, sensum, motumque quærimus, hæc autem jacent sine motu, et vivunt sine sensu. Incolumentas quâ fruuntur, provido summo rerum opifici tribuenda est, qui

artificioso

artificiose opere et divino corpora ista ita finxit  
et fabricatus est; quæ viribus quibusdam infitis,  
mirandis adhuc potius quam ritè explanandis,  
obstant, quominus frigus et inedia mortem indu-  
cant, donec calore aliisque rebus admotis re-  
deunt ad vitam, et ad munera fiunt idonea.  
Animalia verò quotquot hieme conduntur, non  
omnia cibum vel aërem omnino recusant; hinc  
dividi possunt in duas classes; aliis *vita est soporosa*, aliis *vita interrupta*. In illis actio cordis et  
pulmonis et ventriculi manet, in his functiones  
vitales restant omnino; ad hanc amphibia et in-  
fecta, ad illam mammalia pertinent. Quoniam  
in iisdem regionibus animalia quædam semestrem  
quasi vitam excedere negantur, aliaque per to-  
tum annum vigent, et hieme non obdormiscunt;  
et quoniam vitales functiones per plurimos men-  
ses non solùm minutis sed suspensas videamus,  
cerebri nimirūm nervorum actionem, et san-  
guinis circuitum et respirationem,—in his diver-  
sis diversa expectanda est structura. Et ita se-  
res habent, præsertim in amphibiis. Si physio-  
logicam

logicam instituamus comparationem calidi sanguinis animantia inter et frigidi, obviam impensis differentiam notaremus in corporum temperie, et in organis huic subservientibus. Dum hæc vix duos tresve gradus calent supra elementum quod habitant, illa simul insigni caloris gradu gaudent, neque profectò calor ut in frigidis animantibus varius, sed plerumque ferè idem est. Cùm calor animalium in pulmone gignatur, quod per tot tantaque recentiorum inventa constat, organa respirationis diversa in diversis animalibus quærere liceat.

Amphibiis et piscibus cor simplex est, et arteria pulmonalis ab aorta derivata. Testudini quidem duo sunt cordis ventriculi, sed inter dextrum et sinistrum est communicatio per foramen ovale ut in fœtu ; hinc sanguis in aortam transfit sine itinere per pulmonem, et sanguinis circuitus durat per longum tempus sine respiratione ; hinc (ut aiunt) arbitrario utuntur pulmo-  
ne. Memorabile etiam, arteriosum amphibio-

rum

rum sanguinem vix ac ne vix quidem à venoso differre, et pro portione corporis longè parciore fanguinis quantitate hæc scatent.\* Pulmones sunt in amphibiis vegrandes, respiratio inæqualis et rara, et longè diutiùs quàm animantia calidi fanguinis cùm respiratione tūm cibo carere pos- sunt, et in aëre vitiato indemnia remanere. Aliæ præterea sunt differentiæ ; quod in amphibiis, ce- rebrum exiguum, nervi insignes et crassi cernan- tur, sed in mammaliis, graciliores nervi majori cerebro juncti sunt ; hinc in illis functiones ge- neris nervosi languent, frigore hebetantur facilè, et has hebetes reliquarum sequitur functionum torpor.

\* Blumenbach, Spec. Phyf. Comparat. p. 92.

Ita de ranis, Haller Oper. Minor. Vol. I. p. 183.

“ Arteriosi et venosi sanguinis nulla in ranis diversitas adparet.” Ita inquit Spallanzani de lacerta lacustri “ *De Fenomeni della circolazione* ” p. 193. “ Il sangue arterioso in nulla differisce dal venoso sia nel colore, sia nella densità.”

torpor. Hæc vero haud secus ac alia, in hiematione amphibiorum explicandâ, suis difficultatibus non carent ; et profectò, ad animantia calidioris sanguinis non referri possunt. Hic fateri oportet in explicatione nostrâ, ‘ *biatum esse maximè deflendum!* ’ Multa desunt priùs de gliribus, de erinaceis, &c. quām plenam habeamus notitiam, neque de his alia reddenda est ratio, quām dicere, ‘ *hæc lex Naturæ, hoc consilium!* ’ Condunt itaque se, torpent, et reviviscunt, instinctu quodam divino. Instinctu scilicet isto, qui rectè definitur verbis auctoris solertis et ingeniosi. †

Quæ cùm ita sint, opiniones quām vanæ quibus causam proximam soporis philotheori proferre

† Brown's Observations on Zœconomia, p. 265.

“ If, by the term instinct, be meant *a predisposition to certain actions, when certain sensations exist,* the admission of it is so far from being ridiculous, that, without it, the phenomena of animation cannot possibly be explained.”

putant! quām inania quoque commenta ea  
quæ effutiunt, de excitabilitate exhaustā, de vi  
sensorii imminutā, et de vitā propriā. Qui con-  
tendunt torporem induci stimulis remotis, rem  
cērtē aliter dicunt: Quid vero explicant? Nil  
fanē. His igitur somniis relictis, quoties naturæ  
opera latè circumspicimus, potius admirari ju-  
vat, quanto consilio, quanto artificio, quām  
aptā partium compositione, quāmque mutuā  
omnium utilitate, omnia constituta sunt. Certi  
enim flores certam exigunt terram: certa insecta  
alimentum ex certis capiunt floribus: certis tem-  
poribus flores ipsi nascuntur, fructum edunt,  
et moriuntur: certisque animalibus certi sunt  
mores, et certa partium structura.

Sunt qui censent, soporem hiemalem non esse  
animalibus innatum, sed solā à consuetudine ori-  
ri, quæ fortuitò à frigore et defectu cibi nascitur.  
Ita opinatur Fabricius, atque etiam putat, hæc  
animantia apud nos sopita, olim sub mitiore cæ-  
lo hieme non condi. Confitendum 2 ut est, hanc

sententiam

fententiam speciosam experimenta quædam redunt. *Pallas* notavit arctomydem et citillos, quos familiares aluit, domi pinguefactos, contra frigoris vim robustiores reddi; et experimenti gratiâ, in loco frigidissimo, expositos, nec quidquam de familiaritate parùmque de calore amississe, nec torpidos fuisse. \*

Compertus est etiam Dom. *Gough*, vir apprime sagax, glires domi educatos, per æstatem pinguissimos fieri, et ita à pabulo mutatos et domesticâ vitâ, ut neque gelu torpescant nec brumæ tempore cibum recuseant. Quinetiam erinaceus, ursus, vipera, et musca vulgaris, per totum annum alacres et vegeti manent, si modò adfint calor et cibus; et horum beneficio soporem fallere possunt. Ex his periclitationibus constat, soporem hiemalem haud ad vitam animantium esse necessarium; sed credo potius hunc abesse,

illa

---

\* *Pallas*, de Glirium Ordine, p. 136.

illâ vi, quam apud omnia instituit Natura, et quâ ad varios casus et rerum discrimina se se accomodare possunt. Avibus quarum cibus ex frugibus derivatus, sensim et pedetentim concoctio ita mutata est, ut carne satis alantur et bene se habeant. J. Hunter accipitrem, et Spallanzani aquilam gradatim assuefecit solo pane vivere: et Linnæus narrat, avem quandam *Stockholmiae*, vinum bibisse; sed non ex his exemplis mutatur avium natura; nec animalia naturaliter sopita mutantur, quia aliquando hieme non torpent. Opinio igitur hæc, quamvis ab auctoriibus gravibus prolata sit, non, ut mihi videtur, pro vera habenda est.

Nunc de respiratione quærendum est: et memorare juvat, quod ea hactenus exposita, opinionem de caloris animalium in pulmonibus ortu haud parùm confirment. Respiratio combustioni similis est; hydrogenium carbonatum lentè consumptum suppeditat plerumque chylus, quod

opinatur prælector ille solertissimus, J. Allen. †  
 Animalia vero hieme sopita cibum capiunt nul-  
 lum, calorem tamen evolvunt; hic forsan ab  
 adipe derivatur, qui materiam comburendam  
 sanguini venoso præbet. Hoc verisimile reddunt  
 sequentia. Omnia animantia quæ hieme con-  
 duntur, omnes habent partes corporis adipe in-  
 crustatas: habent etiam plurima omenta,\* et  
 glandulas quafdam singulares. Apud erinaceos  
 et plurimos de glirium ordine notavit *Pallas*, in  
 autumno adipem multum colligi, omentum am-  
 plissimum, atque alia omenta minora adipe re-  
 ferta. *Thymus* largior; necnon duo corpora  
 glandulosa thymo simillima sub gulâ, alia duo  
 sub muscularis pectoralibus, et ad axillas et ad  
 collum extensa: atquæ hæc hieme magis florida,  
 videnda in omnibus quæ torpent animantibus. §

Et

† Lectures on the Animal Economy.

\* Haller Physiol. Vol. VI.

§ Pallas Nov. Comment. Petrop. Vol. XIV. et De  
Glirium Ordine, passim.

Et quod animadverti debeat, animalibus ejusdem generis, quæ hieme non conduntur, thymus ferè nullus est, omenta angustissima, et nulli adipes collecti. Adeps colligitur in vermis et in omnibus infectis præter apem, quæ sola in autumno non pingueſcit, sed temperiem servat per hiemem, mel consumendo. Nervi diaphragmatis et octavi paris, peculiares et majores quam soliti obſervantur in animalibus hiemeſ ſopitis, præfer- tim in vespertilione; ſed de ſtructurâ anatomica ignorantia adhuc multum ſit dolenda. \*

Jam nobis occasio offert pauca dicendi de uſu adipis. Adeps ad corporis formam et pulchritudinem existimatur conſerre, motumque faciliorē reddere, ſed hi uſus non niſi lanio et naturæ ſtudioſo, percipi et comprehendendi poſſunt. Alios igitur uſus haud dubiè habet præter viles iſtos mechanicos. Nos probabilia multa habemus,  
quæ

---

\* Vide Philosophical Magazine, Vol. XIV. p. 88.

quæ conjecturâ augurare facile, affirmare vix possumus.

An animantia hieme sopita adipis usum, et omenti et thymi glandulæ explicare possint? An conjicere liceat, adipem in corporibus vivis hydrogenii carbonati fontem et quasi penum esse? An non resorbeatur continuè, et citius in morbis quibusdam, ubi calor plurimum auctus? An in morbis infantum, in febribus, in diabete et in phthisi &c. adeps materiam comburendam sanguini præbeat, quo calor fit major et macies singularis?

An sanguis in fœtu ante partum, et in animalibus torpentibus mutationem quandam chemicam subeat in thymo aliisque glandulis?

Harum rerum causa non prompta est; ab argumentis, à signis, et à periculis accuratis adhuc petenda: nostræ conjecturæ non præcludere sed præcedere experimenta proferuntur. His tantum  
adjicere

adficere liceat, quod inter omnes fatis constat; adeps colligitur usu multi cibi et ubi respiratio lenita: hinc corporis quiete et multo somno; hinc in piscibus et amphibiis, in quibus tarda est respiratio et hydrogenii carbonati parva consumptio. Cel. Mascagni narrat, se in vasibus lymphaticis virorum subitâ morte absumptorum oleum jam secretum, semper conspexisse.

Unde vero soporis causa? lectorem quærentem audire videor. Certè ab ipfâ animalium constitutione. Series eventuum et mutationum in hoc utì in omni naturali opere, ita longa est et obscura, ut totam seriem enarrare vires deficiant. Unam igitur alteramve harum mutationum verbis exponere conabimur.

In omnia animantia, calor tantum habet imperium, ut mobilitatis et sensus fons et causa videatur; quòd auctus has vires augeat, minutus, minuat, non modo ad torporem, sed aliquando usque ad mortem. Non est dubitandum, quin frigus

frigus soporem animalium inducens, genus nervosum primò afficiat ; hanc vim frigoris sedativam plurima exempla pulcherrimè illustrant. † Plantæ ferè omnes tempestate hiemali, umbratili otio, et obscurâ vitâ sunt contentæ, viridem amittunt colorem, succi motus cessat, folia decidunt, arescant trunci ramique : denique non aliter quām animalia sopita restant.

In his, in animalibus torpidis, et in ovis excludendis, idem facit calor ; nempe ut actiones in partibus augescant, novæque explicitentur : ut humores distribuantur quoquoeversum, et ut varia deinceps munera perficiantur. Quod calor his, humor infectis quibusdam efficit. Multa enim et pulchra experimenta ostenderunt, infecta quædam

† Vide Narrative by Sir J. Banks and Dr Solander, in Captain Cook's Voyage. Vid. etiam

“ Observations médicinales sur les principaux effets du froid et du chaud sur le sommet des hautes montagnes. “ Par les Cts. Parat et Martin.” Recueil de la Société de Lyons.

dam parvula, humore ablato, immobilia duro cortice, et quasi mortua fieri: facit autem humor, ut reviviscant et ad vitam redeant, quamvis plurimos per annos, fine mobilitate et fine sensu mansissent. §

Porrò, inter causas quæ torporem inducunt vel quæ inductum protrahunt, aér in quo oxy-  
genium in parcâ quantitate adeat, debet enumera-  
rari. Hanc enimvero opinionem adhuc proba-  
biliorem reddunt pericula, quæ fecerunt viri  
magni et nobiles, *Lavoisier* et *Seguin*. Comperti  
enim hi auctores, somnum citò obrepere in aëre  
vitiato, minus oxygenii continente; et nemo tam  
inscius et ignarus, qui non intelligat, aërem  
fumo carbonis vel magno cætu vitiatum, somni-  
culosos et hebetes facere homines. M. *Allemand*  
hanc sententiam confirmat experimento singu-  
lari.

---

§ Præsertim *Vorticella rotatoria*. Vide Fontana on Poisons. Spallanzani Tracts on Animals and Vegetables, p. 322. Baker on the Microscope. Lewenhoeck. Needham.

lari. Murem cricetum hieme sopitum eduxit, atque aëri frigido liberè objecit. Animal statim experrectum, minimè torpebat. Idem sub terrâ demersum et undique occlusum, paucos intra dies in soporem incidebat, iterumque aëri extero æquè frigido objectum reviviscebat statim: hinc vero proximum videtur, soporem hujus animalis non solùm frigori sed mutationi aëris esse tribuendum.\*

Postremò, silentio non est prætereundum, quod credibile videtur, homines atque omnia animantia, mirabili istâ facultate frui, quâ torpida et semianima tutò manere possint. Fertur oves in *Icelandiâ* sub nive transfigere hiemem. Fertur etiam oves, quæ septentrionales *Scotiae* regiones incolunt, per sex hebdomadas, nive obrutas, (sopitas forsan) et exinde venire incolumes. Nec defunt exempla hominum, qui vel frigore, vel mœrore, vel sine manifestâ causâ, non modo totos

---

\* Buffon's Nat. Hist. of the Hamster, Vol. VII.

totos dies sed menses etiam somno vix interrupto  
transfegerunt. \*

Quinetiam in catalepsi, in febribus provectis,  
atque in asphyxiâ, ubi sensuum stupor, ubi nec  
motus nec calor subest, et ne multis, ubi omnia  
venisse summam horam testantur atque adesse  
mortem, nonnunquam vel deplorati præter spem

F revaluerunt

\* Vide in Nov. Act. Acad. Nat. Curios. Vol. III.  
Casum singularem Christ. Kratzer in quæ per novem men-  
ses fine edendi et bibendi cupiditate obruta somno  
manebat.

Vide exempla quædam memorabilia in Plott's Hist. of Staffordshire, Chap. viii. sect. 26.

Et de quodam sene narrat J. Hemmings, cui mos fuit, sex hebdomadas somno, sex etiam vigiliâ ferè omnino consumere alternis vicibus. Diff. Phyz. Inaug. " De Somno."

Vide historiam Elizabeth Woodcock, quæ per dies octo nive obruta manebat. Kalend. Februar. A.D. 1799.

Vide Somis' "Narrative of three women saved who were buried 37 days under the snow, in a stable at Bergamoletto in Italy."

revaluerunt. Nemo itaque temerè desperet ægrorum saluti, nec desistat conando eos morti eripere.

---

### CONCLUSIO.

---

Contemplationibus hisce, sæpe me inter dulces amicos multùm delectabar, quibus dissertatiunculam meam ad finem perduco. Signa præcipua et miranda in animalibus hieme sopitis usque adeo conatus sum adumbrare. Multa forsan omissa, alia nec fatis accuratè exposita sunt. Hactenùs enim quasi in porticibus templi Naturæ deambulare licet. Piget respicere sex millennium annorum seriem, cuius exigua fanè pars hominibus enituit, qui in sacraria interiora penetrare conati sunt. Piget me etiam collectos tantum aliorum labores, et in hac disputatione tam pauca propria et nova experimenta exposuisse. Occasio, non mens defuit. Spero tamen me posthac,

posthac, cùm plus otii suppetit et tempora magis idonea, ad hanc rem præclaram, cognitione dignissimam, utpote ad leges quibus vita movetur illustrandas accomodata m, majore studio meipsum collaturum esse.



